



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Annales Episcoporum Slesvicensium**

**Cypraeus, Johann Adolph**

**Coloniae Agrippinae, 1634**

Capvt XVI. S. Canvtvs III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

salutis volumus applicare, Dei Genetricis creationem & Conceptionem dignis officiis celebremus, ut ab eius benedicto filio digna mercede remuneremur. Hac ibi.

HARALDVS VII. Rex Dania 71. Iuramenta litium decisoria introduxit. Obijt A. R. 2. 1080.

Regnante Suenone Haraldus, cui scelera Mali cognomen adiecerunt, Olai Regis Norvvegiæ Frater, Constantinopoli, Fratrem mortuo, in Daniam rediens, Suenonem consanguineum regnantem reperit. Sueno Regnum Norvvegiæ ferro acquisitum, Haraldo fidelitatis Sacramentum iuranti, dedit in beneficium, id pro Ducatu accipienti, quod is totum sese Suenoni submisisset. Haraldus ad suos reuersus, fretus eorum beneuolentiâ & fidelitate, rebellare cepit, classemque 60. nauium adornauit, ac Daniæ oras maritimas adortus, ferro & igne eosdem vastauit ac populatus est. Maximas tunc temporis clades acceperunt Arhusia & Slesviga. Nam Ecclesia Arhusiensis incensa conflagrauit, Ciuitas autem Slesuicensis direpta & vastata fuit. Rex Sueno terga vertit. Haraldus & Sueno quotidianis inter se prælijs, quoad vixerunt, contenderunt, Haraldus tandem in Angliam profectus est, vbi & cæsus fuit. Ad. c. 13. 3.

---

## C A P V T XVI.

S. CANVTVS III. Rex Dania 72. Episcopis sessionem à Regibus proximam & Decimas attribuit. Othonia, Blaccone proditore, à Fionibus ante altare internecioni datus, Anno 1088. 10. Iul.

**M**ortuo Suenone, Canutus, qui propter pietatem & integritatem Sancti cognomen adeptus est, in

in Regno successit. Is ad exemplum Suenonis, Sacerdotum & Ecclesiasticum ordinem honestare & pro-  
uehere cupiens, lege latâ confirmauit, quemadmo-  
dum vsu Canonum receptum ac approbatum erat,  
vt Episcopi Regibus proximi affiderent, & apud eos  
principalem locum obtinerent. Qui honos etiam  
Siuardo Episcopo Slesuicensi oblatus & exhibitus  
fuit, vt proximum à Rege locum occuparet, Regi-  
q; affideret. Neque ea re contentus Rex, alijs etiam pri-  
uilegijs, immunitatibus, & honoribus, ordinem il-  
lum decorauit & ornauit: & inter alia iuri diuino, &  
Canonibus conuenienter, vt Clerici, Religiosi, & li-  
terati, Iurisdictioni Politici Magistratus exempti, co-  
ram sui ordinis hominibus conueniantur. Et si qua  
pœnâ afficiendi sint, vel æris, vel grauioris multæ, vt  
id de arbitrio cuiusque ordinis, atq; Ecclesiasticorû,  
corâ Superioribus Magistratibus, ac Rectoribus fiat,  
ita enim Clericos à Laicis differre conueniebat. Quin  
ad institutionem Sacrorum Canonum, Decimarum  
solutionem populo imperauit. Sed pius ac sanctus  
Rex, dum Ecclesiæ salutis ac incolunitatis intentus, de  
eiusdem incremento ac propagatione, gloria que ac  
honoris Christi apud suam gentem amplificatione,  
anxie ac sollicite laborat ac contendit, malorum o-  
dium ac inuidiam sibi conflauit, qui felicem Euange-  
lij cursum non solum sistere, sed omnino intercidere  
summopere conabantur ac impedire. Nam cum in  
conuentu Procerum, de finibus regni amplificandis,  
& de Angliâ, quam ipsius Maiores subegerant, recu-  
perandâ, deliberatum esset, adhibito simul in consi-  
lium Olao fratre, sine quo nihil decernere ac tenta-  
re solebat, omnibus Regis institutum placuit, in pri-  
mis autem Olao, simulanti, sibi eam rem maximè  
cordi esse, simulq; promittenti, se vnâ in Angliam  
expeditionem suscepturum. Quamuis regni cupiditate

tate adductus longè aliter sentiret, aliudq; clam corde agitare. Dani ubi iam ad eam rem se paratos esse arbitrati sunt, deq; fide Olai, qui in Angliam vnà se profecturum fratri receperat, nihil quicquam amplius dubitarent, ibi Olaus contra omnium expectationem, diem ex die ducere, procrastinare, modo hoc, modo illud causari, & quòd multis grauissimis rebus, magnique momenti negocijs impediretur, prætere. Quæres, diuturna q; cunctatio ac tergiuersatio, non minimam sinistra ac difficilis cogitationis suspicionem præbuit, quod aliquid monstri aleret, aliudq; corde clausum aliud ore promptum haberet. Cumque Rex non obscuris indicijs accepisset, cum sibi insidias struere, præter omnium expectationem magnis itineribus Slesuicum contendit, ubi tum Olaus agens nouis rebus studebat, urbis amplitudine & loci oportunitate, vt quæ in Isthmo, & finibus Regni Daniæ sita esset, fretus. Fratrem nihil quicquam mali metuentem de improviso aggreditur, captumque in Flandriam relegat, quòd eum rerum nouarum & Imperij cupidum, magnæque apud Danos authoritatis, & animi in se infensi cognouisset. Quare ne longius eius dementia progrediretur, mature prouidendum, operaque danda, ne quid in posterum sibi nocere ac obesse posset. His peractis Rex iterum in Daniam magnis itineribus contendit, vt classe, quam instructam habebat, in Angliam transmitteret, bellandi & Insulæ recuperandæ studio ac desiderio incensus ac commotus. Sed longè aliter res cecidit, quàm sperarat. Nam ad suos reuersus omnium ordinum & plebis animos à se abalienatos, reperit, vsque adeò, vt nauibus relictis in summum Regis contemptum atque opprobium vnusquisque domum suam repeteret. Hac subditorum suorum contumacia ac temeritate Rex commotus, edicto publico im-

co im-

eo imperat, optione datâ populo, vt vel grauissimam Regi mulctam pendant, deq; illatâ contumeliâ hac ratione satisfaciant: aut Sacerdotibus ac ministris Dei quotannis Decimas persoluant. Congregatione totius Regni facta, consilioque habito, Regi renunciatum est, malle populum exactiõibus semel grauari & vexari, quàm in seruitutem perpetuam vnâ cum liberis & nepotibus conijci, quæ Decimarum annuâ solutione illis subeunda esset. Quod cum Rex accepisset, exactiões imperauit, missisq; in omnes Regni partes ministris, vt capitatiõis nomine pecuniam exigerent & Regis Imperium exsequerentur, illis in mandatis dedit. Eos populus, cum pro Imperio agerent, & paulò durius ac asperius pecuniam extorquerent, interemit, conspirationeq; facta de Rege quoq; necando, consilia iniuit. Quæ res cum per iudicium Regi enunciata esset, timore adductus, & periculi vitandi causa, Slesuicum tanquam ad asylum firmissimum, vnâ cum vxore & filiabus profugit, eo consilio, vt, si res postularet, inde in Flandriam cum suis traiceret. Sed paulò post mutato consilio, quòd iam furorem populi deferbuisse existimaret, in Daniam reuertitur. Est locus in medietate Iutiæ celebris, qui ob celsitatem, siue propter antiquorum sacrificiorum frequentiam, vel ob Idoli ibi culti, quod Wyg nominabatur, memoriam, Wygbergis / hoc est, Mons excelsus, aut Mons sanctus nominatur. Eò populus ex totâ Iutiâ ad iudicium conuenire, & bona sua repetere: actionesque omnis generis intendere, & persequi lite & iudicio solet. Huc Rex confugit, quòd eum locum putaret fortunæ suæ miseræ & iactatæ portum & perfugium futurum. Sed cum illic sibi insidias parari comperisset, relicta Wiberga in Fioniam properauit. De cuius aduentu populus certior factus, spiritu Diabolico afflatus & inflammatus

in

in Regem conspirat: numerusque eorum, qui de Rege interficiendo consilia capiebant, quotidie crescebat. Ad quam rem se administrum præbuit, homo versutus & sceleratus, Blacco nomine, qui sub prætextu pacis conciliandæ, & transigendi inter Regem & populum, ad mensam & colloquium Regis admisus, & liberaliter habitus fuit. Atque ubi animum & voluntatem regis explorasset, ad populum seditiosum reuersus, tantum abest, ut sedandis motibus studuerit, ut omnia in peiorem partem interpretatus sit, verba Regis peruerterit, atque in eius necem animos eorum iam dudum inflammatos atque exulceratos, magis concitauerit atque incenderit. Cumque Rex, qui turbas ac seditionem populi iam sedatam, atque in tranquillo collocatam existimaret, ijs, quibus maximè fidebat, comitatus, ad ædem S. Albani, vespertinas preces auditum, sese contulisset, populus in continenti eum subsequutus est, magno impetu violentisque manibus, plerique valvas Basilicæ infringere, alij ignem admouere ceperunt. Interim Rex religiosissimus, qui videret sibi interitum parari, peccata sua confessus, communionem corporis & sanguinis Christi, tanquam viatico omnium certissimo sese communiuit. Ibi tum populus Regem, eosque, qui in ædem sacram conuenerant, iaculis & saxis per fenestras petere, & ubicunque apertura esset, oppugnare. Rex, qui mortem præ oculis videret, coram altari sese abiciens, in modum crucis pronus procumbebat, seque, suosque Deo commendabat. Benedictus & Ericus, Regis Fratres, Regi suppetias ferre conantur. Sed multitudini in limina irrupenti obsistere non potuerunt. Ericus non sine vitæ discrimine elabitur. Benedictus vnà cum Satellitibus Regis irrupentes excepit, & quosdam interemit. Inter quos & Blacco proditor occisus, prodicionis pœnas dedit.

Sed

Sed & Benedictus Frater Regis insons occubuit. Rex precibus fundendis intentus trucidatur. Nam quidam, lancea per fenestras immissa, latus eius transfo- dit & transfixit. Hic fuit exitus tristissimus ac calami- tofissimus quanquam beatissimus Regis optimi, deq; Ecclesia Christi præclare meriti, diuinæ veritatis Catholicæq; Religionis ac fidei amantissimi, eiusque Patroni ac defensoris acerrimi ac studiosissimi.

In cuius sancti ac Beati Regis sempiternam me- moriam, inserere iterum huic historiæ libet, in- signem eius commendationem, ex Breuiario Slesui- censi antea nominato, vbi primum hac oratio præ- mittitur.

*Deus, qui hodierna die Beatum Canutum Regem & Martyrem à subditis sibi plebibus iniuste peremptum, glorio- so Martyrio coronasti: præsta quaesumus, vt ipsum apud te sentiamus intercessorem, quem credimus in cælis gratia tua gloriose regnare victorem.* Huic orationi vltcrius subij- citur, in præfato hoc breuiario, succincta ac breuis vi- tæ, remq; eius gestarum, nec non gloriosissimi marty- rij descriptio ac commendatio.

CANVTVS Rex Danorum, acutus ingenio, specie deco- rus, armis ac animo strenuus, mentisq; industria & oris fa- cundia redolebat. Ad miseræ personæ viscera gerebat ma- terna: diuinum cultum ampliabat, carnemq; propriam ieiu- niis affigebat. Nam solennibus ac priuatis ieiuniorum die- bus, nec non & sextis feriis panem solummodo cum sale & aqua comedebat, cum aliis ferculis regalibus, quæ ei appone- bantur, vti credebatur.

Considerans autem se Regem factum, propter hoc vt iu- stitia coleretur, incepit Regni prauas constitutiones pro viri- bus extirpare. Et vt populus contra ignauiam, virtuosum ex- ercitiū haberet, edixit, vt classis paretur pro Anglia subiu- ganda, quæ à Dominio Danorum recesserat, & tunc erat per extraneos occupata. Cumq; naues parentur, ac superue-  
nient

nienti tempore autumnali populus supplicabat Regi, vt propter culturam agrorum, & occupationem rei domestica suspenderet expeditionem vsque ad tempus vernale. Quod & Rex annuebat. Omnibus igitur ad propria reuersis, cœpit edicta proponere cum comminatione vindictæ, vt Decimas populus Ecclesijs solueret, ieiuniâq; per Ecclesias indicta reseruaret. Plura etiam alia, quæ secundum Deum statuenda videbantur. At populus vesanus vicij & iniurijs assuetus contra Regem propter salubria edicta odium concepit: ac destructionem ipsius, primo per occulta conuenticula tractare cœpit, incentiuum habens per Olaum Regis fratrem, & quosdam proceres qui Olao adhærebant. Est autem locus celeberrimus ferè in medio Iucia, qui ob sui eminentiam, siue ob antiquorum sacrificiorum frequentiam, vel ob idoli quondam ibi nominatissimi, quod Wyg dicebatur memoriam Wygbergis (veluti excelsum, aut belli mons, seu sanctificationis, lingua Danica) nuncupatur, vbi pro causis terminandis, siue pro legû veritate & firmitate discutienda, populus ex more de omnibus partib. Iucia congregabatur. Hunc locû nobilis Princeps adiit, vt vel ibi refugium inueniret. Sed dum illic insidias paratas videret, versus Fioniam properauit. Cumq; Fioniam intrasset, cœpit & ille populus diabolico spiritu inflammatus in mortem pij Principis conspirare. Confluit ergo malignus populus, ac de die in diem augmentatus. Aderat inter eos versutissimus proditor dictus Pipireo (Blacco) qui Regem adiit sub specie pacis faciendæ inter populum & ipsum. Suscipitur reuerenter, & in mensa Regis honoratur. Sed cum Regis propositum cognouisset, rediens ad populum, omnia verba Regis peruertit, atque in necem pij Principis eorum animos malignus proditor concitauit. Rex autem cum aliquibus sibi fidelibus ad Ecclesiam S. Albani accessit pro vesperis audiendis. Quod cum populus comperisset, subito eum insequitur: alijq; valuas Basilicæ infringere, alij ignem admouere tentabant. Interea Rex deuotissimus per confessionem, & Dominici corporis communionem se inunxit:

muniuit. Cumq; obstinatus populus ipsum & socios eius, iaculis & saxis per fenestras, aliasq; aperturas nimium infestarent, Rex pius coram altari in modum Crucis procumbens, se & suos Domino commendabat. Dum autem sic orando iaceret, vnus per fenestram, immissa lancea latus eius transfixit, Christo Martyrem fecit. Hæc ibi.

## C A P V T X V I I .

OLAVS IV. Ex Flandria à Vitis reuocatus, Rex Daniæ  
73. summam annonæ caritatem morte expiauit, Anno  
1099. 9. Iul.

*Censuram tristi sacram dum mente volutat  
Spernere Rex, aris ipse Rodolphus adest.*

*Papa audit causam, tunc Regem Flamine donat  
Summo, Metropolis iure caditq; suo.*

A. C. 1065.

**A**NNO 1064. Slesuicum missus fuit Rodolphus, ab Adalberto Magno Episcopo Hamburgensi, qui Episcopatum regeret ac administraret, vir vitæ sanctitate insignis, doctrina singulari præditus, qui que apud Adelbertum Sacellani officio antea functus fuisset. Cui etiam pro opinione virtutis ac pietatis hic honos habitus fuit, vt templum maximum Mindæ, quod vnâ cum tota Ciuitate conflagrauerat, & decem post annis reædificatum fuerat, iterum inauguraret & consecraret, Henrico IV. Imperatore præsentem & solennem hunc actum decorante, Anno 1080. idq; ratione affinitatis cum Rege Knutone factum esse, verisimile est, cui hunc honorem Imperator præstare & exhibere voluit. Nam Knutonis Magni filiam  
H Gunil-